

humiliter postulamus iisdem de causis pro Dedicatione omnium Ecclesiarum nostrorum Conventuum Provinciae Leodiensis, et, ut nunquam omittatur haec celebratio, ut non raro accidit, cum tempore, quod deberet celebrari Ecclesiae alicujus Conventus Dedicationis, saepe saepius fiant nostrae mutationes capitulares, et sic transeuntes Religiosi de Conventu, in quo proxima est Ecclesiae Dedicationis, ad alium, in quo jam celebrata est, teneantur, ut se conformare possint aliis Religiosis in recitatione Officii illud Dedicationis omittere hoc anno, quod advenientibus iisdem mutationibus annis sequentibus, ut potest fieri, fere semper omittent. Et eadem S. R. C., Emo. et Rmo. D. Card. S. Clementis referente, respondit: „Negative“. n. 3763 ad 7 die 19. Febr. 1707.

9) S. Mariae Angelorum.

Vd.: *Indulgentia de Portiuncula* (decr. n. 4048.)

10) Oratorii.

(*Utrum celebrandum.*)

Cf.: *Oratorium.*

In Ecclesiis et Oratoriis Ecclesiae parochiali subjectis, in quibus multi Sacerdotes quotidie celebrant, non possunt celebrari missae Titularis et Dedicationis sub eodem ritu dupl. ac in Ecclesia parochiali. n. 4844 ad 8 die 23. Febr. 1839.

Missionarii in Hollandia et confederatis Provinciis habentes tantum Oratoria, Ecclesiis jam profanatis vel destructis destituti, non possunt annue recitare Officium Dedicationis cum octava. n. 3089 ad 1 die 2. Junii 1685.

11) Vexillum in signum Dedicationis.

Vd.: *Dedicat. Eccles. omn. alicuj. Ord.* (decr. n. 4842.)

DEFECTUS IN ORDINATIONIBUS.

Vd.: *Subdiaconatus; Ordin. ad Presbyt.; Diaconatus.* (tradit. libri Evang. decr. n. 4813.)

DEFUNCTUS.

Depositio.

1) Locus.

Vd.: *Commemor. Omn. fidel. Def.; Off. Def.; Processio funebr.; Sepultura; Sepultura* (Sacerd. def.; Episcopi def.); *Cadaver.*

Ad dubium: An haeredes sint cogendi ad retinendum domi cadavera usque ad sepulturam, an iisdem liceat pro libitu asportare cadaver ad quamcunque Ecclesiam usque ad horam tumulandi, etiamsi sepelienda essent in Ecclesiis Regularium, non obstante dissensu parochi seu prohibitione ab eodem facto uti Vicario Foraneo? S. C. resp.: Petita et etiam non obtenta licentia posse cadavera deponi arbitrio haeredum in qualibet Ecclesia usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepulturae. n. 2733 ad 1 die 22. Junii 1675; n. 4316 ad 3 et 4 die 7. Maji 1763 *cum append:* Et parochi deberi ratione ejusdem depositi intortilia tantum, quibus cadaver expositum fuit, dummodo aliquas preces expleverit.

Posse deponi cadavera in quacunque Ecclesia arbitrio Testatorum vel Haeredum. n. 3522 ad 3 die 11. Julii 1699; n. 3690 ad 3 die 7. Junii 1704; n. 3881 ad 2 die 14. Decb. 1715.

Ad dubium: An haeredes defunctorum cogi possint ad retinendum domi cadavera usque ad tempus sepulturae, sive eorum libitu, petita et non obtenta licentia parochi possint eadem deponere in aliqua Ecclesia, usque ad tempus illa processionaliter deferendi ad Ecclesiam sepelientem? S. C. resp.: Ad primam partem negative, ad secundam affirmative. n. 3722 ad 12

die 9. Maji 1705. S. C. C. 14. Mart. 1722; 6. Febr. 1734.

Ad dubium: An volentibus haeredibus facere dictum depositum, teneantur illud private facere in alterutra ex duabus Ecclesiis parochialibus terrae Montis Novi, sive potius possint illud facere in quacunque Ecclesia? S. C. resp.: Ad primam partem negative, ad secundam affirmative. n. 3722 ad 13 die 9. Maji 1705. Et ibidem ad 14: „Depositum fieri posse in quacunque Ecclesia, arbitrio haeredum.

Praetendente Curato Ecclesiae S. Luciae Terrae Montis Alboddi Diocesis Senogallien, occasione funerum, Haeredes non habere facultatem faciendi depositum defuncti in Ecclesiis sibi bene visis; ex parte Guardiani et Patrum Minorum Conventualium nomine Vicarii Foranei et civium Terrae praedictae S. R. C. pro declaratione: An arbitrio Haeredum defuncti depositum sit faciendum in quacunque Ecclesia? humillime supplicatum fuit. Et S. eadem R. C., inhaerendo aliis resolutionibus in similibus editis, respondit: „Dentur Decreta in Senogallien. 22. Junii 1675, et pariter in eadem causa 9. Martii 1706“. n. 3854 die 1. Julii 1713.

2) Modus.

Nulla modo est tollerandus abusus, quod mortui curru clausi deferantur ad Ecclesiam. S. C. Ep. 17. Mart. 1650.

3) Tempus.

Cadavera in quacunque hora diei deferri possunt ad Ecclesiam, de nocte vero non nisi de licentia Ordinarii. S. C. C. 15. Mart. 1704 (et Clem. XI. 9. Decembris 1704). Vd.: *Sepult.* (Tempus).

Cum in Oppido Trepani Dioecesis Mazarien irrepisset abusus collocandi

cadavera Archipresbyterorum defunctorum occasione funerum, induta pluviale in sede, secus vero in feretro, ut praescribit Rituale roman., S. C. resp.: Non licere et servetur Rituale rom. n. 4043 die 21. Apr. 1736.

DEINDE.

(*In form. Absolutionis.*)

Vd.: *Absol.* (A peccatis.)

DELEGATIO.

(*Ad benedict. Indumentorum etc.*)

Vd.: *Benedictio* (Delegatio).

DELEGATUS APOST.

Vd.: *Installatio novi Canonici* (decr. n. 4274).

DENUDATIO ALTARIS.

1) Fer. V. in Coena Dom.

Ad dubium: An fer. V. maj. hebdomadae teneantur Canonici post vespere ad denudationem altar. procedere, seu potius fieri debeat denudatio per Episcopum celebrantem eique assistentes? S. C. resp.: Servetur solitum. n. 4235 ad 8 die 15. Sept. 1753.

Ad dubium: Utrum idem ferendus sit usus, ut post Vesperas Feriae V. in Coena D. denudatio Altarium fiat per simplicem Sacerdotem Superpelliceo et Stola indutum cum duobus Clericis Superpelliceo pariter indutis, non vero a Celebrante cum Ministris, uti in Missali indicitur?

Et S. eadem C. rescripsit:

„Servari posse consuetudinem: dummodo Sacerdos Altaria denudet Fer. V. in Coena D.“

N. 5118 ad 3 die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Coena Dom.* (Processio; decr. n. 4647 nota).

2) Tempus.

Ad dubium: Utrum Feria V. in Coena Domini servari debeat usus denudandi Altaria post *Mandatum* hora quarta pomeridiana? S. C. resp.: „Negative“. n. 4672 ad 7 die 12. Novbr. 1831.

DEPOSITIO.

1) Defunctorum.

Vd.: *Defunctus*.

2) Sacerdotis defuncti.

Vd.: *Defunctus* (depos.; temp. decr. n. 4043).

3) Sanctissimi post processionem.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 1. etc.

4) SSmi. in nocte in Orat. 40 hh.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 3. etc.

DE PROFUNDIS.

Canonici, ratione Legati obligati, possunt quotidie post Completorium recitare psalmum *De profundis* cum oratione *Inclina* etiam in diebus festis de praecepto. n. 1257 die 21. Aug. 1640.

Licere in choro post Primam recitare ps. *De profundis* cum Oratione pro Def. in Communi, exceptis tamen dupl. I. cl. n. 5004 ad 3 die 7. Decb. 1844.

Utrum „*De profundis*“ dici possit post *Laudes*? vd.: *Officium def.* (orationes; decr. n. 4687. nota).

Quando „*De profundis*“ in Off. defunct. omitti debeat? vd.: *Officium def.* (omissio).

DESCRIPTIO MISSARUM.

Vd.: *Missa* (descriptio)

DESPONSATIO B. V. M.

1) Commemoratio in hoc festo.

In Desponsatione B. V. M. non est facienda commemor. s. Joseph, nisi constet de speciali concessione. n. 4044 (ad Tit. IX.) die 5. Maji 1736.

Ad dubium: An die 23. Jan. in festo Desponsationis B. V. M. sit facienda commemoratio Sponsi ejus s. Joseph tam in Officio quam in missa? S. C. resp.: Servetur rubrica quae habetur in Officio Desponsationis. n. 4049 ad 3 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 3 die 16. Febr. 1737.

Omnibus Fratribus et Monialibus Ord. Min. s. Francisci indulgetur atque conceditur, ut in recitatione Officii Despons. B. V. M. cum s. Joseph fiat ab ipsis oommem. ejusd. s. Josephum in utrisque vesp. tum in laud. et resp. etiam in missa cum antiphonis et oratione a S. R. C. approbatis. S. R. C. 1. Julii 1713. *In una Ord. Min. Obs.*

Officium et Missa Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph recitatur in Dioec. Tudens. die 26. Nov., et in eis fit comm. S. Joseph ante alias omnes Commemorationes. A multis tamen non fit talis comm., quam dicunt licitum non esse facere sine speciali concessione hujus S. S. Quapropter quaeritur: an revera omittenda sit comm. S. Joseph in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa Desponsationis B. M. V. juxta Decretum, quod proferunt istius S. R. C. sub die 5. Maji de anno 1736 emanatum? Et si revera omittenda est, Orator humillime postulat pro illius extensione saltem ad Dioec. Tudensem ob specialem Fidelium pietatem erga S. Joseph Sponsum B. M. V.

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Etsi fieri nequeat comm. S. Joseph in Officio et Missa Desponsationis B.

M. V., ubi non est concessa, attamen S. R. C. de speciali gratia annuit ut deinceps a Clero Civitatis ac Dioec. Tuden. ante omnes alias quascumque comm. in memorato Officio et Missa Desponsationis Deiparae, S. Joseph ejus Sponsi Commemoratio apponatur“.

Atque ita rescripsit, declaravit, indulsit, servarique mandavit. n. 5050 ad 17 die 23. Maji 1846.

2) Officium et translatio.

Vd.: *Sancti ad libitum*.

Officium Despons. B. V. M., attento quod dies vigesima tertia Januarii, qua concessa est illius recitatio, est impedita Officio s. Idelphonsi, ejus festum est solemnissimum in Cathedr. Angelopolitana in Indiis, transferatur ad primam diem non impeditam alio officio 9 II. n. 3120 ad 1 die 20. Julii 1686.

In Regnis Catholico Regi subjectis fuit concessum Officium Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph sub ritu dup. maj. ad libitum: an possit praedictum Officium fieri, dum semper occurrit cum Festo semidup. de praecepto in Ecclesia Universali, stante Decreto de Sanctis ad libitum non transferendis, quando occurrunt cum Sanctis de praecepto?

Et S. R. C. censuit respondendum: „Negative“.

Et ita declaravit n. 3701. die 23. Augusti et 13. Septembris anni 1704.

Benedictus XIII. concessit, ut in toto ecclesiast. Statu ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, Off. et Missa de Despons. B. V. M. cum s. Joseph die 23. Jan. sub ritu dupl. maj. celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725; 15. Sept. 1736.

DIACONATUS.

1) Evangelii Cantus.

Cf.: *Evangelium* (Quis cantat etc.)

Ad dubium: Pariter si Missa Ordinationis non fiat in cantu, Subdiaconus et Diaconus debentne cantare, vel legere Epistolam et Evangelium, et quando? S. C. resp.:

„Legant, dum Episcopus legit“. n. 4669 ad 9 die 12. Novb. 1831.

2) Evangelii traditio.

(*Defectus.*)

Archiepiscopus Taurinens. scripsit ad S. R. C.: Emza Rma.

Mi trovo costretto ricorrere all' Eminenza Vostra Rvdsma. per il seguente caso. Nel Sabato delle o scorsose tempora di Pentecoste due Religiosi Francescani intervenuti all' Ordinatione pel Diaconato, dopo terminata la Funzione, e quando il Vescovo Ordinante, si era di gia ritirato nel suo appartamento, manifestarono, che non si erano presentati a ricevere il Libro degli Evangelii, credendo che non fosse giunto ancora il loro tempo; e che lo festo era accaduto a qualche altro Chierico secolare, senza saperlo indicare. Sentito cio, furono tosto condotti innanzi allo stesso Vescovo ordinante, il quale suppli l' omessa tradizione del Messale. Osservatosi però in seguito, che varie sono le opinioni degli Autori, e che segnatamente Benedetto XIV. *De Synodo Dioeces. l. VIII. c. X. n. 13.* riporta un decreto in senso contrario, sebbene si riferisca all' Ordine del' Presbiterato, si é creduto non doversi prendere determinazione veruna senza consultare l' Oracolo della S. Congregazione. A tale oggetto pertanto mi rivolgo all' esimia bontà dell' Em. Vostra, pregandola degnarsi dirmi, che cosa debba farsi tanto riguardo a quelli ne' quali

nulla fu falto, e si verificasse che effettivamente anche per essi abbia avuto luogo l'istesso difetto, Attendo con impazienza un suo venerato riscontro e m' inchino al bacio della Sacra Porpora protestandomi col più profondo rispetto.

P. S. Dopo scritta la presente vengo a riconoscere, che sebbene nella sera dello scorso Sabato, mi fossi fatto premura di scrivere al Superiore di detti Religiosi per impedire ch' esercitassero l'Ordine, pure non essendo giunta in tempo la Lettera, uno di essi lo esercito e puo essere accaduto lo stesso per gli altri.

S. C. rescripsit: Simulac Amplitudinis Tuae epistolam datam accepimus super omissione traditionis libri Evangelior., quae inconsulto accidit in promovendo nonnullos Subdiaconos ad Diaconatus Ordinem. Sacra Congreg. in suo et Consultorum sensu respondet, quod, si Amplitudo Tua prudenter iudicet moram temporis, quae inter Ordinationem horum Subdiaconorum in Diaconos et supplementum defectus intercessit, haud tantam fuisse, ut moralis conjunctio formae cum traditione materiae merito censeatur abrupta, Ordinos hujusmodi relinquere possit in sua bona fide quoad praeteritum et a qualibet suspensione in posterum absolutos declarare, quatenus sui Ordinis Officium publice tuta conscientia (si aliud non obstat impedimentum) pro ratione sui Status libere valeant exercere. Si vero dubitet tantum fuisse temporis et diversarum operationum intercapedinem et varietatem, ut hiatus iste inter Ordinationem et supplementum defectus nulla probatorum auctorum interpretatione conjungi possit; tunc iterum, si cum traditione prius omissa libri Evang. simul protulit formam, sciat se posse acquiescere et ita Ordinos in suorum

Ordinum exercitio pariter acquiescentes dimittere. Si vero solam tradidit partialem materiam libri Evang. sine forma, tutius erit, si Ordinatis hujusmodi caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione suae formae repetendo. Quo in casu si tempus proximae futurae Ordinationis ad hujusmodi supplementum a Canone constitutum expectari nequeat, vel ob periculum scandali vel ob alias non levis momenti causas et circumstantias, nec aliud obstat impedimentum, poterit ab Interstitiis dispensare et proximo quove festo defectum prudenter et secreto supplere. Quod ad Clericos spectat saeculares, de quibus, prout in casu exponitur, dubitatur, an ommissio eadem acciderit, curare pro sua prudentia Amplitudo Tua poterit, ut Ordinati hujusmodi innotescant, (quod non videtur tam difficile, si Catalogum, quem apud se certe habebit, Subdiaconorum in ea Ordinatione ad Diaconatum evectorum percurrat, et eos, in quos suspicio hujusmodi cadere potest, caute et secreto circa hujusmodi dubium interrogari faciat). Si quos igitur invenerit, quibus eadem contingit ommissio, idem praestabit, quod superius dictum est de duobus Religiosis et si eos Ordinem Diaconatus bona fide hactenus exercuisse repererit, a Censuris, quatenus opus fuerit, (si nihil aliud obstat) absolvat et ad ejusdem Ordinis ministerium et officium in posterum, quatenus opus fuerit exercendum, hoc est ad pie et fideliter in suscepto Diaconatus munere ministrandum tutos in conscientia declarabit. n. 4813 die 16. Junii 1837.

3) Evangelii Osculum.

Vd.: *Evangel.* (oscul. Episcopi in Ordinat.)

DIACONI ASSISTENTES.

1) Abbatum.

Licere Abbatibus *Congreg. Camaldul.*, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno festivitibus permittitur uti *assistentia duorum Diaconorum* ultra Diaconum et Subdiaconum pro cantandis Evangelio et Epistola. n. 966 die 21. Aug. 1632.

Prior usum Pontificalium habens non habeat duos Diaconos assistentes, sed contentus esse debet Diacono et Subdiacono Missae et uno Capellano cum pluviali assistenti. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbatibus, quando celebrant solemniter, non habeant duos Diaconos assistentes. n. 531. die 18. Martii 1617.

Vd.: *Usus Pontifical.*

2) Episcopi.

a) In Coena Dom.

Vd.: *Diaconi assist. Episcopi* (porrig. SSnum. decr. n. 4672).

b) In Ecclesia Cathedr.

Vd.: *Canonici assist.* (dum Episcop. etc.); *Biretum Canonic. assist.*; *Assistens*; *Canonici (Ministri)*; *Canonicus non consecratus*; *Episcopus assist.*; *Sedes assistentium Episcopo.*; *Genusl. in bened. cum SSmo.*

Episcopo pontificaliter et solemniter celebranti Archidiaconum a dexteris et alium Diaconum a sinistris diaconaliter paratos assistere oportet. n. 15 ad 12 die 16. Mart. 1591; n. 21 ad 1 die 23. Mart. 1592.

Dignitates proxime sedentes post Archidiaconum assistere debere in loco duorum Diaconorum et recusantes etiam sub censuris cogendos esse. n. 1599 die 21. Novb. 1648. Episcopus potest cogere Dignitates, ut ei, absentibus Diaconis et presbyteris Canonicis in

munere Diaconi assistentis inserviant. n. 1803 die 10. Junii 1656.

Munus assistendi Episcopi latera, fimbrias elevandi, imponendi et deponendi mitram etc. pertinere ad Archidiaconum et antiquiorem *Diaconum* Canonicum, ambos dalmaticis indutos. Quodsi Canonicus *Diaconus* nullus aderit, ultimum *Presbyterum* Canonicum in diaconali habitu succedere debere, qui stabit a sinistris Episcopi et Archidiaconus a dexteris, licet ipse Archidiaconus ordine tantum diaconali fuerit initiatus. n. 21 ad 6 die 23 Mart. 1592.; n. 91 die 24. Jan. 1595.

Ad Diaconos assistentes pertinet onus elevandi fimbrias Pluvialis hinc inde, quando Episcopus progreditur et dum thurificat Altare. n. 351 ad 7 die 19. Maji 1607.

Vesperas vel Missas Episcopo solemniter celebranti Archidiaconus a dexteris et alter Canonicus Diaconus . . . a sinistris diaconali habitu induti assistere debent. Quodsi Diaconus nullus adsit, tum Canonicus alius ex ordine presbyterali assistentis diaconi munus suppleat. n. 33 ad 1 die 17. Novb. 1592.

Episcopo vero non celebranti *sed Divinis assistenti* iidem assistere debent. *Ibidem.*

Si habeat Episcopus Missae solenni assistens cappam pontificalem, habeat Assistentes; secus, si sine cappa. n. 133 ad 3 et 4 die 2. Sept. 1597.

Quidam Canonici Diaconi praetendebent, quasi assistentes a dexteris et a sinistris Episcopi ad Ecclesiam cum cappa accedentis procedere. S. R. C. resp.: Canonicis Diaconis praedictum locum non convenire, *nisi quando Episcopus paratus cum mitra* ad Ecclesiam accedit. n. 157 die 3. Aug. 1602.

Nullam Episcopo convenire assistentiam neque Diaconorum neque Presbyterorum, quando *procedit cum*